

1511 rantur , milites prope universi , qui disiecti apud Bononię a Bentivolorum factione vel capti fuerant , singulatim ad Paulum inermes venerunt , centurionesque illorum militum omnes , quorum nonnullos imperfectos fuisse rumor attulerat . eos Paulus , ut ad se navigia appellabant , impositos ad Albanum montem mittebat : is est locus in primis Patavinorum a Fossa Clodia finibus . Ipse autem Paulus , universo exercitu præmisso , triremem instructiorem e classe Bondimeriana ad se præter alias missam consendit , & me , qui casu tunc ad eundem vicum Urbino veneram , ut Bembum patrem meum adversa valetudine Patavii laborantem inviserem , lœtissima unius diei navigatione Fossam Clodium secum vexit . Is fuit dies ad octavum calend. julias . Paulus ad Patres se contulit , atque ab iis missionem postulans , ea non impetrata ad Leonicenos , ubi erat Grittus , est profectus . Patres exercitu reficiendo consulentes , Mariano Prato , Leonardi illius quem Galli hostes interfecerant , fratriis filio , tribunatum quingentorum militum concederunt , atque ut eum numerum quamprimum conficeret , ad Grittumque legatum adduceret , mandaverunt . Erant Veronæ milites Hispani mille . ii oppido egressi ad Grittum miserunt , quoniam nullius tunc hominum stipendia mereant , si legatus velit , se ad illum venturos stipendiaque reipublicæ facturos . Ea de re Patres admoniti , coacto Senatu cum plures sententiae dicerentur , ea vicit , quæ non esse eis confidendum censuit : itaque non sunt recepti . Julius Romam rediens in itinere editum in Bononienses protulit , ni ad se remque publicam Romanam revertantur , se se eos ab aqua & igni , a sacrorum communione , a convictu hominum diris imprecationibus arcere . Cumque post eos dies acta e nubibus grando solito major atque frequentior , omnes terræ fructus , qui in agris erant , per X. millia passuum circa oppidum absulisset , vulgi suspicio tenuit , edicti Juliani causa eam conflatam vastitatem cœlo missam cecidisse . Eo tempore e Pannonia literæ venerunt : in conventu regio ,

III. kal.  
jul. Julius  
Bononiensi-  
bus aqua &  
igni inter-  
dicit .